ARCHIVUM SECRETUM APOSTOL. VATICANUM

Bonifatius eps servus servorum dei. Dilecto filio Nobili viro Landulpho de Columpna Civi Romano salutem et apostolicam benedictionem. Ut
depressio et confusio Columpnensium scismaticorum et ecclesie Romane rebellium eo celerius et facilius executioni mandetur quo ad id pluri
um proborum virorum fuerit ministerium deputatum. Nos de tue Nobilitatis industria plenarie confidentes, volumus et presentium
tibi auctoritate committimus, ut una cum Nobili viro .. Capitaneo militum Tallie Tuscie adversus scismaticos et rebelles predictos
ac adiutores et fautores eorum ad captiones Castrorum Terrarum locorum et bonorum ac etiam personarum ipsorum, destructionem quoque
et devastationem domorum, vinearum et arborum eorumdem, et alias in omnibus et per omnia que in hac parte ad honorem
et exaltationem ecclesie Romane videris expedire procedas viriliter et potenter, et nomine nostro et eiusdem ecclesie Castra terras
loca et personas ipsorum que capi contigerit custodias et conserves seu custodiri et conservari facias et procures ad nostrum
beneplacitum disponenda. Datum apud Urbemveterem v Nonas Septembris Pontificatus nostri Anno Tertio.

14

Riproduzione ad uso della Scuola Vaticana di Paleografia